DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
PURPURA ALBA
MORBO
APUD NOS INCOGNITO

Quam

Decreto & Authoritate Gratiosi

MEDICORUM ORDINIS

In

Alma Rauracorum Academia

PRO SUMMIS IN MEDICINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

ritè consequendis

Publicæ & solenni Disquisitioni exponit

JOH. MICH. BRODHAAG,


Bado-Durlacensis.

Ad diem XI. Maji MDCCXXXIII.

H. L. Q. C.

Ihro Excellenz, Se do

Vicari.



BASILEÆ,

Typis JOHANNIS CONRADI à MECHEL.



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DOMINO DN. CAROLO

MARCHIONI BADENSI,
ET
HACHBERGENSI, LANDGRAVIO SAUSENBERGENSI, COMITI SPAHNHEIMENSI ET EBERSTEINENSI, DYNASTÆ IN ROETELN, BADENVVEILER, LAHR ET MAHLBERG &c. SACRÆ CÆSAREÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS, ET CIRCULI SUEVICI RESPECTIVE GENERALI CAMPI-MARESCHALLO ET SUPREMO REI TORMENTARIÆ PRÆFECTO, AC LEGIONIS PEDESTRIS LAUD. CIRCULI SUEVICI CHILIARCHÆ &c. &c.

Hoc Artis Asclepiadéæ Specimen
dat, dicat, dedicat, ſacrumque facit
ſubjectiſſimus
JOH. MICH. BRODHAG.



SERENISSIME PRINCEPS,
PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME!



Uriosè atque sollicitè circumspicere, cui has pagellas potissimum offerrem, minimè opus erat; Illicò enim, *SERENISSIME PRINCEPS*, aurem mihi vellicavit & jucundissima memoria eorum, quibus gens nostra gavisa est, beneficiorum sub *Prædecessoribus Tuis*, *Gloriosissimæ Memoriæ*; ex quibus duos numeramus Ecclesiarum Antistites, tam ex paternâ, quam maternâ lineâ Avos, Brodhagium nempe atque Fechtium; & sua-

vissima recordatio peculiaris Gratiæ, quâ *Tu Ipse Serenissime Princeps* beasti Trifolium illud fratrum, qui nostrâ memoriâ Patriæ diversis nominibus simul servire studuerant; constabat illud ex uno Fœrderero, Pastore Buggingensi jam defuncto, duobus Brodhagiis, quorum natu prior, Samuel Brodhag, Archivarius illius, qui Basiliæ est, Archivi ante paucos menses diem obiit supremum; natu autem posterior est Pater meus, in quem *Clementissimè* Physicatus Hochburgensis à *Principe Parente Tuo* collatus est, qui & *Tibi* adhuc *Principi Hæreditario* suam Dissertationem humillimè dedicare ausus est. Accedit recentissimum Benevolentiæ *Tuæ* erga nostram familiam Testimonium, frater meus, Diaconus Aulicus Durlacensis, qui maximæ *Tuæ* in se Clementiæ præco, maximo cum jure nec satis, nec dignè tamen deprædicare valet.

Hæc insignia *Domûs Tuæ Serenissimæ*, *Tuique Ipsius* in nos *Benevolentiæ Clementissimæ* Monumenta, ac præter hæc longè plura, quæ harum pagellarum cancelli recensere non permittunt, calcar addidere, ut & ipse, sequens patris exemplum, subjectissimè offerre *Tibi* coner tenue hoc studiorum meorum Specimen, de Purpurâ nempe; non illâ, apud mortales sic deprædicatâ, atque coloris ob suavitatem laudatissima, sed albâ, non verò albo, sed nigerrimo calculo dignâ, Rogans submississimè, ut *TU SERENISSIME PRINCEPS* serenâ fronte ac eâ Clementiâ hoc Specimen accipias, quàm devotissimo atque de Patriâ benè merendi cupidissimo ex animo hunc conatum profectum esse, testari possum. Ceterum ardentissimis oro Supremum Numen precibus, ut *TE SERENISSIME PRINCEPS*, cum duobus *Ocellis Tuis Serenissimis*, *Te* inquam Ter-inclytum Heroëm, sagâ, tôgâque Præstantissimum atque Sapientissimum, Justitiæ summum Protectorem, Clementissimum denique Patriæ Patrem cum *Totâ Serenissimâ Domo* conservet,

conſervet, Eamque ad ultimos ſeculorum dies perpetuo flore vigere, florere atque perennare jubeat. Ita ex intimo pectore atque devotiſſimo animo voveo; ac, quicquid in me artis, ſtudiorum, ſcientiæ, ingenii virium fuerit, id omne ſubjectiſſimè ac ſubmiſiſſimè *TIBI SERENISSME AC CLEMENTISSIME PRINCEPS* commendatiſſimum ut ſit precor.

SERENITATIS TUÆ

Dab. Baſiliæ d. 4.
Maji 1733.

humillimus atque obſequioſiſſimus
ſervus
JOH. MICH. BRODHAG.

SONNET.

Wie muß das schöne Werck/ der Schöpffung Meister-Stücke/
Deß Leibes Wunderbau so gar gebrechlich seyn!
Ein leichter Zufall reißt denselben plötzlich ein;
Ein Tropffen stockend Blut/ ein Würmgen/ eine Mücke.
Er wackelt / steht er gleich / bey jedem Augenblicke.
Bald kocht ein wilder Jast in Adern und Gebein.
Der Säffte Dickerung/ der Sennen Krampff und Pein
Erfordren von der Kunst ein tägliches Geflicke.
Dir ist / Gelehrter Freund / das schwehre Werck vertraut;
Du solt ein schönes Hauß/ von GOttes Hand gebaut/
Durch deine Wachsamkeit für Fall und Wancken fristen.
Besorg es fromm und klug. So krönet deinen Fleiß
Dort ein beständig Wohl und hier ein steter Preiß;
Diß ist des Artztes Lohn/ und jenes eines Christen.

Aus wahrhaffter Hochachtung
und Ergebenheit beygesetzt
von

C. F. Drollinger /
Hochfürstl. Baden-Durlachischer Hofrath
und Archivario.

Vota

VOta ego cum nequeam dignis hic fundere verbis,
Nunc precor ut ſummus det Tibi vota Deus.
Gratulor interea Tibi, tum mihi gratulor ipſe,
Talia cum meritis digna Brabéa capis.
Sint Tibi felices ſemper Doctoris honores,
Dum veniat cœli non periturus honos;
Gaudeat ipſe Parens, Princeps quoque jure favebit,
Sitque Deo ſua Laus, commoda mille Tuis.

Ex animo gratulabundus apponere voluit
N. L. C. E. S. S. H. E. P.



VEſiclis albis ſpurcat ſi Purpura Corpus,
Veneno turbat Spiritus & Liquida;
Planitiem nitidæ macte ſcis reddere Pelli,
Spiritus & Succos Arte novare doces;
Strenuus hinc tenta Doctum ſuperare Parentem
Veſte nitens albâ; hanc conſuat Hippocrates!

Ita fovet & applaudit
JOH. CASP. MANGOLD.
Phil. & Med. D.

Qualis

Qualis ſit morbus, Medicis qui Purpura dictus
Alba, ſimul tolli qua ratione queat:
Egregio tradis Scripto, quo cognitus orbi
Hic fiat morbus, cognita cura magis.
Cognitus hoc ipſo docto Tu Doctor es orbi,
Et ſumma titulum ſumere Laude potes.
Prœmia Purpureo tribuant de Suanguine nati,
Quin etiam ex alto dulcia quæque beent.

Id

QVoD VVegeMannVs habet perpaVCIs ſCrIbere VerbIs.




CAPUT



CAPUT I.

Quid sit & dicatur Purpura alba.

§. I.



DE Purpura alba dicturo incumbit ante omnia, & nominis rationem, & rei definitionem dare, quò intelligatur, quid propriè sit illud, de quo in hac tractatione agatur, quod cùm per se meritò à me postuletur, eò magis tamen mihi necessarium videtur, quoniam & nomen ipsum, & res vocabulo hoc denotata haud ubivis nota sint. Vocem igitur Purpuræ albæ Latinam esse facile patet, Germano verò idiomate audit: Der weisse Friesel. Denominatio hujus morbi cum à vulgo prodiisse videatur (atque à Medicis recepta sit,) admodum obscura est, atque incongrua, siquidem purpura coloris rubri speciem cuilibet notam denotat, quare epitheton: Alba non potest non ideam rei obscuram reddere: Occasionem autem denominationis hujus vulgo dedisse videtur cognatio hujus morbi cum alio, cui nomen purpuræ ab exanthematum colore, qui vocatur: Der rothe Friesel / der rothe Hund / Latinê Purpura. Est autem ille sicut hic, febris acuta exanthematica, habens nodulos protuberantes, colore purpureo: hic vero papulas albas pellucidas habet, semperque maligna est, illa verò non item. Hinc vulgus ab hac simili-

ſimilitudine eum nominavit: Den weiſſen Frieſel / Medici impropriè Purpuram albam. Definitionem realem differemus in Cap. de hiſtoria morbi, quod ipſam clariorem & conceptui diſtinctiorem reddet, cum ibi commodius locum invenire videatur. In limine autem ſtatim declaro, me non acturum de Purpura alba puerperarum, niſi forſan incidenter, nec de ullo alio morbo, qui ab effloreſcentiis poſſet aliquam habere cum hoc ſimilitudinem, ſed de ſpeciali hoc mox definiendo; illa enim, puerperarum nempe Argentoratenſibus etiam nota eſt. Hæc verò, quantum mihi conſtat, planè ignota, aut certè oppidò paucis nota eſt, ratione ſubjectorum ægrotantium, in hac regione noſtra Medicinam exercentibus occurrentium; & hinc Diſſertationis Titulus.

CAPUT II.

Hiſtoria Affectûs, & genius huic morbo proprius.

§. I.

IN tradendâ igitur verâ hujus affectus hiſtoriâ, me non Autoritati aliorum, etiam Celeberrimorum Autorum, dabo, cum ii partim inter ſe non conveniant multis in circumſtantiis hujus morbi deſcribendis; dum unus dubitat, an ſit Purpura pellucida eadem, quæ alterius Purpura alba, alter hanc febrem acutiſſimam & vehementem, alius lentam, alius eam ad dies criticos inclinare, alius contrarium ſcribit, & quæ plura ſunt ejusmodi, & in ulteriori deductione forſan occurrent; ſed ea deſcribam ac fideliter tradam, quæ mihi ipſi in tam copioſa, imò copioſiſſima praxi, in loco, ubi propter ſtrages, quas edit hic morbus, ſæpiusque graſſatur, notiſſimus eſt; Ubi cura ægrorum Medico-Clinica mihi demandata fuerat: quæ mihi, inquam, ſollicitè & curioſè omnia circumſpicienti, quærenti, indaganti, non timidè inquirenti, manibus palpanti, oculis intuenti, contagium nunquam reformidanti, & aliquot hoc morbo defunctorum corpora ſecanti occurrerunt, cum mihi jam tum animo ſederit, de hac Materiâ

teriâ cum tempore ſpecimen edere, præſertim cum multi Medici timidiores ſint, quam ut in tali morbo curatiùs cuncta explorent, id quod ſæpe cauſa eſt diſſenſûs Scriptorum.

§. II.

Hic itaque affectus noſter, ſ. Purpura alba eſt Febris acuta continua, maligna, exanthematica, quâ Natura, ſ. Principium vitale miasma quoddam ſubtile fermenteſcens putredinoſum per Diapnôen, ſeu formâ halituoſâ exterminare intendit, Motibus Se- & excretoriis ultra naturalem conſuetum ordinem auctis.

§. III.

Initium morbi fit à viciſſitudine horroris & æſtûs inconſtante, & alternante, quaſi in Eryſipelatis acceſſu, appetitus mox languet, vires cadunt, animus tædio quaſi marceſcit, præcordia premuntur anguſtiis & anxietatibus, ac laborioſa reſpiratione, quæ profunda ac difficillima reſpiratio huic affectui propria quaſi eſt, ac tam diu durare ſolet, ac vigor aliquis morbi adeſt, nec niſi cum morbo penitus ſolvitur, ita ut nobis in praxi pro ſigno fuerit ſtatûs viſcerum internorum, Noſque, unus ab altero ſtatum ejusmodi ægri exploraturi, interrogaverimus: Zieht er noch / i. e. num morbus nondum mitior eſt, num adhuc profundè, ac tam ægrè ſpiritum trahit? Febris non eſt valde acuta, pulſus interdum magis lentus, & ſani ferè inſtar, ut qui non aliunde hujus morbi indolem norit, putaret, rem non adeo magni eſſe momenti, certas exacerbationis periodos obſervare nunquam licuit, ut morbo eas proprias, & ſtatas aſſerere liceret, quamvis in nonnullis ex reſpiratione collegerim, verſus veſperam patientem durius pati, quod vero ab aliis quoque cauſis oriri poteſt.

§. IV.

Hunc Morbum ſi accuratè obſerves in ſimplicitate ſua ſolum, ſine complicatione cum alio, eum non inclinare videbis ad ſudores verè ſic dictos, guttuloſos, madefacientes, niſi alias patiens his aſſuetus fuerit, quod & affectui ſemper præjudicium affert, febris enim pulſusque talis ſunt naturæ, ut facile videas, naturam non intendere reſolutionem ſanguinis in ſerum, ejusque excretionem:

Miasma enim non ejus eſt naturæ, ut per hos ejici velit, aut poſſit, obſervabis verò continuam diapnöen, cutemque humidulam, ſique contingat, Purpuram ſub copioſis ſudoribus provenire, facile retrocedit, patiensque haud multum levatur, cum jam aliàs incertæ ac infidæ ſit indolis, ac ſæpius ſine ulla manifeſta cauſa evaneſcat, ac retrocedat, nunquam non cum gravioribus ſuccedentibus anxietatibus, atque deliriis, ſeu ſoporoſa ſomnolentiâ.

§. V.

Quoniam autem ibi locorum mos eſt, confeſtim ad pellentia atque alexipharmaca confugere, non apud vulgaris tantum, ſed & diſtinctioris conditionis homines, venenum (ut loquendi formula eſt) à corde depulſuri, ſie wollen das Gifft vom Hertzen treiben/ concurrente etiam ordinariè nimio hypocauſti calore, fit inde ut ſudores quidem copioſi prorumpant, & perpetuò madeat, imo langueat Patiens, morbus autem non levetur, ſed turbetur, ac Materia Morboſa tantum abeſt ut expellatur, ut potius diffundatur, ac loca excretoria ſubterfugiat: nonnunquam verò nec hîc ſudatorius ſcopus obtinetur, è contrà ſanguis impellitur, ut natura, imprimis Plethora obruta hæmorrhagicos motus ſuſcipiat; plerumque ſub ejusmodi ſtatu purpura ſe prodit ante eruptionem ſuam per odorem quendam ſpecificum, nares oſtium intrantis ferientem, acidulum, ut ſæpe in oſtio ſtans affirmare potuerim, hîc patientem decumbere purpuraſcentem.

§. VI.

Antequam Exanthemata erumpant, ægri de pruritu ſubtercutaneo conqueruntur, & vel in graviſſimas anxietates cordis, animique incurrunt, imò ſenſibiliores in deliquia animi, quæ, ſi ab initio morbi occurrunt, adeo Medicum terrere non debent; poſt Eruptionem autem exanthematicam ſi appareant, meritò ſuſpecta eſſe poſſunt, ac debent; indicant enim hoſtem nondum eſſe ſuperatum, principiumque contra hunc dimicans ipſum deſperabundum quaſi languere, & anguem in herba latere. Exanthemata verò erumpunt circa quartum diem, vel etiam ſeriùs, formâ puſtularum albarum granis milii decorticatis ſimilium, cum pro habitu corporis ſuperficies ejus rubedinem quandam offerat pallidam, quod verò

non

non in omnibus fieri ſolere animadverti. Differentiam quæri ac ſtatui inter Purpuram albam & pellucidam, novi, an vero magni ſit momenti, dubito, mihi quidem videtur leviſſima, nec eſſentialis, magis in differentia coloris per cuticulam & cutem transparentis, quam in diverſitate morbi ejusque ſymptomatum conſiſtere. In Purpura noſtra alba communi puſtulæ ſunt ſanè ordinariè diaphanæ, & humiditatem ſubtilem continent, poteſt autem facile differre ex variis cauſis, pro qualitate lymphæ aut ſeri, quo natura pro vehiculo miasmatis expellendi utitur, pro puritate ſuperficiei externæ ſuperficiei cutis, pro conſuetudine ſubjecti in excretione ſudorifera, prout nempe ſudoribus largioribus & frequentioribus aſueverat, pro regimine in præſenti jam morbo adhibito &c. Aſſerere itaque audeo noſtram hanc Purpuram omni quoque jure pellucidam appellari poſſe, ſicut & Celeberrim. Dn. Profeſſor Junckerus, Præceptor olim ac Patronus meus, nunquam ſatis mihi ſuſpiciendus in Conſpectu ſuo Medicinæ p. m. 326. ſub ſignis Purpuræ albæ hæc expreſſa verba ponit: Diaphanæ ſunt hæ puſtulæ.

§. VII.

Tempus durationis hujus morbi, ſi ſimplex ſit, ultra diem nonum, undecimum haud facile ſe extendit, exanthemata enim ſi morbus ritè procedit, ubi per 4. circiter dies in cute ſubſtiterint, puſtulæ exſiccantur, & decidunt, febrisque ceſſat: ubi vero malignior eſt, aut copioſior, quam ut ſuperari, aut expelli queat, plerumque nono, interdum tamen undecimo cum vitæ jactura terminatur. Hactenus de idiopathica, ſive ſolâ ſimplice Purpurâ, quatenus cum alio non complicatur, dictum eſt.

§. VIII.

De hac igitur porro ſequentia notanda ſunt. I^{o.} Quod in genere in his Regionibus rariſſimè (non quod raro ſaltem, conſultò dico) ſimplex ſit. Cauſam hujus phœnomeni, atque veritatis, in ſequentibus, ubi anſa dabitur, explicemus, II^{dò.} enim annotamus, quod facillimè complicetur cum aliis morbis tam acutis, quam chronicis, ut certo ſenſu ſymptoma, ſimulque novus morbus, primarius, capitalis dici mereatur, quoniam ille morbus cui acceſſit ſive ſucceſſit, ſ. cujus ſymptoma ſit, plenariè ferè ceſſet,

 hic

hic verò non primatum ſolùm occupet, altero quaſi in nihilum redacto, ac ſi nunquam adfuiſſet; ſummâ: Dieſer ſpielt den Meiſter / præſertim verò & maximè hoc contingit in febribus intermittentibus aliisque morbis chronicis. In acutis quidem non ſemper contingit, ut morbi antegreſſi indoles evaneſcat, ſunt enim quorum Schema per aliquod tempus retinet, ſub eoque lateat, inopinatò autem emergat, ſuasque proprias Scenas ludat; ita ex acutis & quidem contagioſis malignis nullæ ſunt, quibus magis aſſocietur, atque familiariùs, quam febris ſic dicta Catarrhalis Maligna Petechizans, Petechiæ ipſæ, & Purpura rubra, ita ut epidemicè graſſantibus in menſibus, Februar. Mart. Aprili ſe aut illis jungat, aut Petechias in patientibus ſequatur, ſi una cum petechiis prorumpat: ſtatus admodum eſt anceps & periculoſus, & ex his pauci evadunt.

§. IX.

In ſtatu hoc complicato hæc febris paroxyſmum ſuum inchoat circa veſperam, & per noctem increbeſcit, deliria ita ſunt vehementia, ut multorum hominum auxilio ſæpe opus ſit ad violentiam talium cöercendam, pulſus tamen & urina ſanis valde ſunt ſimilia, deliria vero magna, ita ut patiens per totum morbi tractum ad mortem properare videatur, per totum paroxyſmum cutis madida eſt, multum ſudat, atque angitur patiens, animus ſemper anxius, inquietus, de futuro timens malo ordinariò præſagio; ſi verò non ſtatim cum Petechiis ſe monſtret, patiens verò poſt ſeptimum diem neque pejus, neque melius ſe habeat, adhuc certò exſpectanda eſt Purpura: ubi ſupra ſeptimum diem patiens periculosè ægrotavit Petechiis, nec illæ mitigentur, Purpurâ ſuperveniente albâ plerumque morbus fit levior; nonnunquam Febri Petechiali accedit purpura, ita, ut loco petechiarum (quæ maculæ ſc. non ſunt de eſſentia hujus febris, ſiquidem multi ſine harum proventu pereunt, multique ſine illis ad ſanitatem redeunt) proveniat, priori jam quaſi ſuperato, tumque affectus ſæpe trahitur per 3. aut 4. periodos ſeptenarias, ubi demum patiens ſuccumbit, rarò unus evadit; eodem propemodum modo ſe gerit in ſocietate cum purpura rubrâ, cui tam ſæpe ſe jungit, ac præcedenti, iisdemque ferè cum circumſtantiis, niſi quod purpura rubra per ſe mitioris ſit indolis, quam Petechiæ.

Non

Non rarò quoque Febribus inflammatoriis ſeſe aſſociat, uti ſecundum teſtimonium Actorum Berolinenſium, Peripneumoniæ, aliisque Febribus acutis.

§. X.

III°. Se jungit Morbis Chronicis, uti Febribus intermittentibus, tertianæ, quartanæ, ita tamen, uti ſupra jam innuimus, ut prior morbus quaſi totus fugetur, locoque acceſſûs talis febris, ſymptomata exacerbentur; apparent deliria, pectus improvisò quaſi gravatur, reſpiratio fit laborioſa, quæque alia ſunt ejus Symptomata, accedunt, plerumque verò patiens talis diu vehementer ægrotat, mutatis in aliam faciem circumſtantiis Febris intermittentis, donec tandem purpura alba magno cum terrore ipſius patientis & adſtantium ſeſe oſtendat, ſic ut appareat, naturam magno hîc cum conamine in ejus expulſione ſudare; neſciunt enim homines, unde tam improvisò patiens ſimplici Febre intermittente hactenus decumbens adeò periculosè ſubitò ægrotare incipiat; & hic Medicus caveat, ne quid medicamentis ſiniſtri perpetret, facilis enim hic lapſus ſeu offenſio, & ſi forſan, cum plerumque pectus patiatur, tuſſisque adſit, pro catarrho tractet, omnia ἀτόπως agat, imprimis ſi officioſus eſſe ſtudeat, & urgentibus amicis ægri obſequi velit; Cura hic aut adhibeatur exſpectatoria, aut tamen, quod his circumſtantiis vix ipſum fallet, purpuræ tractationem inſtituat, ne tamen ad alexipharmacorum ſubſidia confugiat, aliâs rem ſine tropo pejorem redditurus.

§. XI.

Operæ pretium duco hoc loco exemplum hujus Phœnomeni proferre. Vir quidam conſiſtentis ætatis, vitæ lautæ aſſuetus, plethoricus, mediâ æſtate afficitur tuſſi, quæ omnibus, quæcunque à Medico ejus, rationali certè, atque experientiâ claro adhibebantur, medicamentis ne minimum quidem cedebat prioribus 7. diebus, tum accedebat febris tertiana ordinaria, ſeu potius ut eventus docuit, tertiana ſimulata, larvata; Vacuo ſeu intercalari die bene ſe habebat, febrili die lecto decumbebat, ſeptimo vero hujus die oritur ſingultus, qui non vehemens modo, ſed & frequens ipſum vexabat, durabatque usque ad 14.mum morbi diem, ubi

ex

ex aliis accedentibus bene dignoſa poterat præſentia inflammationis; erumpit hoc ipſe 14. die paſſim ſparſimque, mox hîc, mox illîc, Purpura alba, minuitur ſucceſſivè & vehementia & frequentia ſingultûs, qui, poſtquam purpura totum occupaverat corpus, ceſſabat, die Augusti 30mo, qui erat dies 21^{mus} morbi, corpus ſpiſſe obſitum erat purpurâ, ſingultus aberat, & ſic ſatis bene ſe habebat Patiens, niſi quod adhuc reſpirabat minùs commodè, ut Amici eum extra omne periculum putarent. Medicus verò huic morbo non fidens eos præmonuit, ne ſecuri eſſent, ſed cum tremore gauderent, præſcribebat remedia convenientia; Nihilominus patiens morbi die, ni fallor, 25to, non modo pejus ſe habere incipit, ac de novo quaſi animi angoribus opprimitur, ſed illo die ipſo ſubitò exſpirat. Petierunt amici ſectionem cadaveris, quam Medicus hâc tempeſtate calidâ non immerito recuſabat, cum præter neceſſitatem id facturus videretur.

§. XII.

Porrò Hypochondriaco malo quando accedit, res ſemper in ancipiti verſatur; In hoc enim evenit, ut aut difficulter purpurale miasma ab internis viſceribus expellatur, ubi mors certa quaſi & ſubitanea eſt; confer. infrâ §. XIII. Circumſtantiæ hujus morbi cum malo hypochondriaco complicatæ, ut uberius deducentur, dignæ ſunt. Priori enim caſu omnia ſymptomata in ſuperioribus annotata longè graviora ſunt, quam ſi cum alio quocunque ferè morbo complicata ſint; verſus illos enim dies, quibus purpura excerni deberet, Natura plethorâ obruta, hujus diminutionem per Evacuationes ſinceras intendit, nullibi vero penetrare poteſt; propter inſignem ſanguinis ſpiſſitudinem ordinariè cum plethorâ conjunctam, & viſcera infarcta atque oppleta; hinc congeſtiones particulares vel ad caput, pectus, vel loca hæmorrhoidalia, hinc ordinariè vehementia deliria, aut ſopores, hinc affectio capitis temulenta, aut conſtipatio & extenſio vaſorum ſanguiferorum & partium muſculoſarum, ut facies hominis fiat quaſi obmutefacti. Er ſiehet aus / wie ein tummer / erſtaunter Menſch / torvus atque truculentus intuitus, Oculi ferè rigidi, ut tantum albedo eorum appareat, ἀφονία aut vera, ut non poſſint, etſi vellent, aut ex tædio ipſius naturæ, ſitus totius corporis perpetuò fere immotus,

reſpi-

respiratio ex imis tracta, suspiria profundissima, sine emissione tamen ullius toni, aut vocis, & si aliquid interrogentur, nil moventur, quam ut minaces quasi adstantes intueantur, auditus difficilis, ut intensissima vociferatione opus sit, si audiri velis; sub his urina pauca, parum tincta, alvus stricta; ac, quamvis hæmorrhagia sequatur, parum inde levaminis; certè nil boni effectus in tot exemplis unquam vidi, aut si sequatur hæmorrhagia copiosa, plerumque adeo excedit, ut continuet ad mortem usque, aut ad tantam debilitatem virium, ut de summa rei haud bene sperari possit.

§. XIII.

Notum est mihi exemplum Hominis, nomine Padevviz, mihi familiarissimi, summè hypochondriaci & plethorici, quod non possum non hîc referre, qui, cùm per 5. dies per alios à me peteret, ut ipsum visitarem, semperque eadem conquereretur, languorem nempe actionum voluntariarum summum, ita ut vix pedem de terra tollere valeret, tædium animi sibi ipsi invisum, plenariam appetitus prostrationem &c. Ceterum se bene habere affirmaret, præscripsi, quæ decebat, admonui autem, ut se in Nosodochium nostrum conferret, me enim timere Purpuram, quæ nunc grassaretur, obsequium recusabat, tandem verò morem gerens, se eò transferendum curavit, ubi septimo die Congestiones ad caput manifestò se prodebant, pauxillum sanguinis ex naribus stillabat. Ceterum Symptomata modò memorata non solum non remittebant, sed augebantur; Aliquoties adhuc se aliquot guttulæ sanguinis ex naribus ostendebant; Purpura vero sub his circumstantiis non prodibat, pulsus apparebat satis fortis, sed tardus, donec versus diem nonum aliquot pustulæ albæ se prodere inciperent in pectore, Mens ipsi hactenus quasi sopita paululum redire videbatur, mox autem omnia mutabantur de novo; animadvertebatur diarrhoea involuntaria, donec tandem hæmorrhoides fluere inciperent (erat autem malum hypochondriacum in Eo jam ad hæmorrhoides determinatum, ut aliquoties antea se has animadvertisse diceret, quamvis ætas ejus 26$^{um.}$ tum annum non transcenderet) quæ brevi ita excedebant, ut in profluvium degenerârint, ac lintea sanguine quasi lavarentur, sanguisque in humum per strata lecti penetraret, ipso

hæc nesciente (siquidem omnibus Sensibus externis carebat) usque ad extremum vitæ halitum, quem 11$^{mo.}$ die morbi exspiravit. Aliquot tamen ejusmodi Patientes ex limine quasi palatii mortis revocatos vidi.

§. XIV.

In hoc malo, Hypochondriaco sc. nonnunquam Purpura se ei complicans, sive potius Miasma ejus à tali corpore susceptum, planè non, nisi in ultimo vitæ & mortis conflictu expellitur; Circumstantiæ & symptomata inferius in 2$^{bus.}$ exemplis, qui totum Morbi genium multum illustrabunt, adducentur, sub N°. V.

§. XV.

Ulterius; hanc cum Podagra, & quidem semper periculosissimè complicantem se vidi, itemque cum Malo Ischiadico.

§. XVI.

Morbus hic IV$^{tò.}$ nulli se tempori alligat, per totum anni tractum ipsum offendes, quod inde jam patere potest, quod tam diversis morbis diversa tempora sequentibus implicetur. Epidemicè autem, quando grassatur, observat menses Febr. Mart. Aprilem, imò & Majum, item tempus Autumnale, hocque habet commune cum Febribus Malignis & Petechizantibus, quibus, uti supra dictum, complicatus longè magis grassatur, si accurate observes, quàm solus & simplex, ita tamen, uti jam monui, ut verè Epidemicè regnet, quamvis sub harum Febrium Schemate, & omnium Morborum, qui per totum annum, quilibet sua Periodo, regnant, larvâ utatur; Ita Verno tempore sub Catarrhalibus malignis, petechiis, Purpura rubrâ, Febribus aliis acutis, continuis, Rheumatismis, Podagra, Ischiade, tempore anni provectiori sub Tertianâ, sub exacerbationibus mali Hypochondriaci & Hysterici: Autumno ferè sub iisdem figuris, Febre quartanâ, tussibus, Catarrhis &c. multifarias ac funestas scenas suas ludit.

§. XVII.

V$^{to.}$ loco ex his omnibus collectim, atque Observationibus infra subjungendis docemur, Affectum hunc adeo versutissimæ, fallacissimæ,

mæ, & versipellis indolis esse, ut nulla propria & certâ figurâ, sed modò sub hoc, modò sub alio Schemate se sistat, vereque Malignus sit, & ubique fere, etiam ubi eum minimè timeres, uti jam satis ostendi, lateat adeo occultè, malitiosè, crudelis & atrox, ut Medicis non mediocriter, & leviter peritè doctis, his suis multifariis Larvis imponat, nec circumspectissimus & expertissimus gloriari possit, se indolem ejus propriam atque astutias, fallacesque latebras, perspecta habere, sæpe ipsum non quæreret, ubi subitò cum cunctis horrendis suis Symptomatibus exoritur, ac quamvis jam oculis pateat, ut Medicum, hunc Hostem accuratissimè observaturum, eique omni modo repugnaturum, ex insidiis, imo apertè fallat; contingit enim sæpius, ut Patientes in optima euphoria constituti, ut Medicus ipse haud immeritò non modo bene sperare posse videatur, sed quasi securus de sinistro eventu esse, subitò aut in pejus ruant, aut planè ab hoc hoste occidantur. Hoc quoque succurrit nunc, ut Medicus sibi in aurem dictum patiatur, si grassantibus Febribus spuriis, præsertim malignis, patientes tolerabiliter se habent, in hypocaustis adhuc ambulent, portione sua ciborum vescuntur, & de lassitudine tantum quadam, & prostratione virium universali querantur, aut quod non omninò bene se habeant: Es seye ihnen nicht recht / ibi Medicus non fidat futuro, sed clanculum & de longinquo contra hunc hostem se paret; Hinc, ut puto satis apparet, qualis hic sit Hostis, & quam parum ei fidere liceat, quod ex 2. exemplis annexis clarissimè patebit, & hanc Positionem confirmabit, atque illustrabit.

§. XVIII.

I. Dominus Metterman, unus ex Præceptoribus Pædagogii Regii, quod Halæ est, Juvenis 24. circiter annorum subitò incipiebat conqueri de lassitudine quâdam sibi aliâs non consuetâ; Er seye über die Gewohnheit matt; möge fast keinen Fuß vor den anderen setzen / Ceterum cibo & potu utcunque fruebatur, faciem, ut aliàs, omnino bonam præ se ferebat, functionibus suis fungebatur ad 11$^{mum.}$ usque diem, quo ipso, assumpto adhuc prandio, improviso petit, ut sibi lectus sternatur, cum hactenus per diem eo uti noluisset, in lectum se projicit, simulque Spiritum ul-

timum efflat, prorumpentibus tamen brevi ante obitum pustulis aliquot diaphanis in pectore & circa caput. Notandum hic, eo tempore Febres malignas, imprimis petechizantes cum Purpura albâ ita grassatas fuisse, ut jam passim sermones audirentur de tollendo cum Civitate nostrâ commercio, Præsidium quoque Militum in urbem proximam eductum est. II. Dominus Neubauer Collega ejus, qui jam primâ periodo $7^{tenariâ}$, ut & $2^{dâ}$, nempe 14to. die crisin morbi sui expertus videbatur, siquidem ad speciem benè se habebat; ut eum quoque isto die Medici restitutum existimantes derelinquerent; ipso vero illo die, horâ post meridiem $1^{mâ}$ invadunt eum magnæ præcordiorum angustiæ, Purpura se leviter ostendit, mox vero iterum evanescit, patiensque brevi vitâ excedit, cum adhuc ante meridiem in publicum prodire posse videretur. Recordor adhuc Virginis cujusdam, quæ eodem morbo laboraverat, cum hæc prima vice, restituta omnino, prodiret tempestate frigido-humidâ, in plateâ frequentissimâ subito extincta in terram procidit.

§. XIX.

Morbus hic quam difficulter dignoscatur, puto ex prægressis satis liquere; Imminentis signa nulla sunt, nisi jam superius memorata, nempe cùm post petechias aut Purpuram rubram status morbi aut maneat, ut nec in pejus, nec melius mutetur, aut si post hæc Exanthemata novi angores, angustiæ, difficilis respiratio, anxietas animi & timor ipsius Patientis ne moriatur &c. se manifestant, ibi sane Purpura prædici poterit; aut si Purpura Epidemicè cum aliis morbis complicata grassetur, si illi morbi genium suum sequi non videntur, sed solito aut acerbiores sint, aut eorum Exanthemata tardius procedunt, aliquid hariolari licet. Indubia autem ac certa Diagnostica signa tradere velle absurdum esset, cum hic affectus sit per se quasi occultus, donec se cum omnibus Symptomatibus suis oculis sistat, præsensque per Pustulas albas nobis se offerat; ego certè fateor, talia me nescire; quæ enim adhuc ei propria deprehendi possent, sub figura Schematum, sub quibus tacitè sæpe ludit, absconduntur; conferatur autem ad hunc locum totus Numerus $V^{tus.}$ præcedens cum casibus ibi enarratis.

§. XX.

§. XX.

Purpura alba quando retrocedit, sæpe fit lethalis, aut tamen omnia exasperat Symptomata, aphthas, deliria vehementia, singultum, maximas anxietates inducit, si iterum expellatur, sed nihilominus Symptomata à retrogressione illius producta non mitiora redduntur, fidei sanè est suspectæ, & gangræna in visceribus internis timenda. Supra jam observavimus, illam quæ simul cum petechiis provenit, imprimis si mature id fiat, 3. nempe vel 4to die periculosam esse; eam autem, quæ post petechias sequatur, melioris spei esse. In quibus denique morbis præ aliis mali sit Præsagii, jam quoque indicatum est.

Caput III.

Pathologicus Purpuræ albæ Nexus.

§. I.



HAndem etiam series rerum me fert ad id, quod in Medicina tam theoretica, quam præsertim practicâ pro Cardine meritò haberi debet, & omninò id est, quod omni fere ævo tot Difficultates, ex his verò pro hominum arrogantia innata, dum quilibet harum Extricationis gloriam captabat, tot dissensus inter Medicos, totque Systemata peperit, puto Ætiologiam morborum. Ego his omnibus in medio relictis, quæ in hoc affectu de ejus causâ diversè pro cujusque inclinatione possent proferri, ea dicam & proferam, quæ in hoc affectu mihi Veritati proximè accedere videbuntur, sine formidine contradicentium, nec ea pro certis venditabo. Si vero usquam, sane hic Ætiologia spinosa atque difficilis est.

§. II.

Tres igitur Causas in quoque Affectu considerandas perquirere lubet. 1. Causam continentem, s. proximam, hîc Materialem, (dantur enim affectus morbosi sine causa materiali) 2. Causam efficientem, & formalem s. instrumentalem conjunctim. 3. Causas procatarcticas. 1. Igitur in definitione Morbi dixi esse, Miasma

quoddam ſubtile fermenteſcens, ſ. putredinoſum peculiaris indolis, adjunxi quoque generalem ejus Naturam ſub his, quod ſub formâ halituosâ exterminetur, ſeu exterminari debeat; id eſt, Materia 1. eſt ſubtiliſſima; 2. ad corruptionem ſphaceloſam inducendam promptiſſima, 3. quantitate tamen pauca. Primum exinde apparet, quod inviſibilis Halitûs formâ de corpore in corpus transferatur, ac non poſſit, nec ſoleat craſſa forma iterum ex Corpore expelli, nec motibus fortioribus aut impetuoſis, ſed moderatis admodùm; hinc ejusmodi Febres malignæ, & calore & aliis exacerbationibus, ut & horum omnium autore, pulſu, & tono ſunt leniſſimæ, ſiquidem rectè ſibi conſtant. Secundum, quod nempe ſummè activæ ſit indolis ad plenariam deſtructionem Oeconomiæ vitalis, & perniciem corporis illam, quâ majorem Hoſtem habere nequit, ſphaceloſam nempe corruptionem producendam, elucet ex oculari Autopſia, quam quotidiana experientia ob oculos ponit, quâ omnibus notum eſt, quam brevi ambitu Malignæ Febres includantur, quarum pleræque ultra primum ſeptenarium vigorem ſuum non extendunt, aliquot etiam non ultra quatriduum, & ſi ſub hoc temporis ſpàtio non maxima pars cauſæ materialis expulſa ſit, ſummè ambiguè exeunt; ac denique ex magnâ illa ſtrage, quam ubi graſſantur, edunt. Paucam eam quantitate eſſe poſſe, vel morſu canis rabidi, quamvis perexiguo, patere poteſt.

§. III.

Quo vero Genio, ſ. Naturâ ſpecificâ ſit hæc Purpuræ albæ materia, ſ. Miasma, ſecundum Figuras particularum ejus, determinare, ideo mihi non ſumo, quoniam maximè ſubtilis ac inviſibilis eſt, ac propterea ejus natura, quâ ab aliis differt, à priori nec determinari poſſit, nec utilitatis id ſcire, eſſe videatur, ideo quoniam eam corrigere aut mutare non licet, cum ſummè activa ſit, ac effectus ſuos, quos reſpicere magis debemus, quam quibus potentiis figurarum illud fiat, prius ediderit, quam de illo operandi modo decernamus, nedum ut illam evertere poſſimus, multo citius multa millia Hominum necaturam, quam de ea inter nos convenerit. Multum dixiſſe is mihi videtur, qui ex effectibus ſonticis ejus virtutem maximam & indolem generalem à poſteriori detegit,

detegit, imprimis cum nec ipsi naturæ ejus essentiam corrigere, nedum destruere, sed unicè, eam ejiciendo & ex M. S. planè proscribendo ejus effectus noxios prohibere liceat, quod ex Methodo ejus hanc tractandi & brevi temporis ambitu, quo hoc efficere conatur, æstimare licet: & si intra hunc fieri non possit, quam irreparabilis, certa tamen ac celera sit noxa. Potius itaque ad naturam effectuum, qui hujus Vi in corpore producuntur, respicere conducet; me ipsum sane Miasma hoc secundum dictas circumstantias definire ac determinare non posse, profiteor; Febrem autem hanc verè Malignam esse, tam ob materiæ pessimam naturam, quam ipsius Febris malos mores, ad quos ex errore dirigentis inclinat, Historia affectûs docet.

§. IV.

Causam efficientem atque formalem hîc agnosco Principium Rationale cum Motibus suis finalibus, seu secundum rationem, moraliter s. propter finem agens. Non ad causas Physicas proportionatè & mensuratè hîc omnia contingunt, sed multa fiunt, quæ etiam possent non fieri, aut aliter fieri, sed diriguntur à causâ ad certum finem, proportionatè, & cum ratione agente, seu ex æstimatione, non semper tam illius, quod actu jam fit, sed noxæ adhuc eminus imminentis & periculum minitantis, sive nunc Animam ipsam, quod mihi arridet, s. Archæum quendam, s. Spiritus quoscunque intelligere velis, mihi perinde est, modò tali Principio convenientes, nec ἀλλότριαι proprietates, quæque in id cadere nequeant, attribuantur; Et cum Therapia rationalis Medica niti debeat, tanquam fundamento, Pathologiâ Medicâ, non Physicâ solùm, ac præsertim in nostro hoc affectu Medicus agere debeat secundum Methodum Naturæ, ostendam quibus modis Natura rationaliter, ac cum fundamento hîc agat, ut etiam à quocunque ratiocinandi compote possit clarè ac indubiè agnosci, Methodum hanc Naturæ esse Rationalem & unicam, quæ hîc eligi possit.

§. V.

1. Rationi conforme est Materiam, Oeconomiam vitalem destruendi, ac noxam irreparabilem inducendi aptam, potius ex toto Corpore, seu ejus nobilissimis partibus eliminare, quam diu

eam

eam tolerare, quæ celeris ſit activitatis ad inferendum maxima damna, eique ſpatium concedere potentiam ſuam exercendi. Hoc vero 2. Natura præſtat, expellendo Materiam ad corporis maximè extremum Organon excretorium, ad illud, & per illud, quod Excretioni ſubtili halituoſæ aptiſſimum, ſimul vero ſecuriſſimum eſt, Cutem nempe, parteſque circa illam affines, ubi minimam noxam inferre poteſt. 3. A viſceribus ſubtilibus, ad vitam maximè neceſſariis, ac nobiliſſimis. 4. Intendit & peragit hanc expulſionem Motibus huic materiæ aptiſſimis, moderatis ſc. non tumultuoſis & fortioribus, ſanguinem nimiùm fundentibus, quibus potius in maſſam humorum non modò diffunderetur materia, ſed ſanguinem adhuc aptiorem redderet per hanc reſolutionem ſuſcipiendæ corruptioni intimiori, ſed talibus directionibus motuum, qui ſubtilibus tranſpirationibus maximè quadrant, unde 5. Febris talis ſui genii eſt, & ſecundum calorem & pulſus magnitudinem atque celeritudinem leniſſima. 6. Non fert, nec commotiones, nec evacuationes fortiores, quamvis & ad eundem locum excretionis ducerent, quò natura inclinat. 7. Multo minus fert illas evacuationes, quæ per aliena loca fiunt, e. g. per Ventriculum, Hæmorrhagias, Diarrhoeas &c. quoniam hîc particulares inſtituantur neceſſe eſt congeſtiones & directiones tonicæ, quæ materiam ab extrema corporis ſuperficie repellunt, & interioribus periculum minantur, cum ab his potiùs eam depelli debere facile cum ratione conveniet. 8vò. Ceſſationem nimiam ægerrimè tolerat ob rationes jam ſæpius dictas, & cuique facile obvias,

§. VI.

9nò. Materiali Causâ aut nimium potente, aut Viſceri alicui tenero & vitali incumbente, ut de illo meritò timeatur (ſicut imprimis Pulmonibus infeſtam eſſe, & facillime quoque in illos penetrare è poſteriori conſtat) aut difficile ſit illam ita colligere ut à viſceribus depellatur, Mora tamen ſit periculi plena, aut ſi jam ita imminens eſt, ut Noxa ſit proxima, ſive jam major facta, quam tàm citò emendari, ſimulque Materia expelli queat, ubi duo Negotia, quorum quodlibet per ſe omnem attentionem atque curam meretur, concurrunt, his, inquam, Circumſtantiis, animus an-

gitur,

gitur, confunditur, ex ſenſu vitali & æſtimatione periculi, atque partium nobilitatis à priori; unde deliria, animi deliquia, motus Materiæ expellendæ minime congrui, aut præ nimia occurrendi his malis feſtinatione gradu, ordine, ſucceſſu, continuatione excedentes, aut timiditate, & Conſilii inopia deficientes, utrumque cum ſummæ rei ſummo periculo, anxietates, inquietudines &c. 10. Adeo provida eſt Natura, ut, cùm tantæ ſubtilitatis ſit hæc materia, eam involvere laboret, & quaſi irretire ac capere per humorem huic fini aptiſſimum, Lympham ſc. Hæc enim viſcidiuſcula & gelatinoſa eſt, dum placidè hanc materiam ad Peripheriam amovere laborat atque intendit, eamque hoc Humore circumdare ſolet, quidem in puſtulas attollitur; Hunc ergo non pro vehiculo ſaltem miasmatis habeo, quam potius Involuero, multo minus pro Subjecto ejus proprio. Et hæc 10. Monumenta ſunt, ex quibus omnium Phænomenorum in hoc affectu notatorum, ut & Medendi rationes deſumi poſſunt & debent: Cumque convenientia harum actionum cum Ratione, ſatis, ut puto, appareat, properabimus ad Methodum hunc affectum tractandi, paucis adhuc non prætermittendis, additis.

§. VII.

Tertiò poſuimus Cauſas procatarcticas, vel præ aliis ad hunc Fomitem morboſum excitandum & producendum aptas, ſub quo titulo comprehendo omnes eas, quæ utramque præcedentem, tàm proximam nempe, materialem continentem, quàm ſecundam excitare poſſunt; ſub hanc igitur Claſſem voco etiam Subjecta maximè idonea ad recipiendam & fovendam hanc cauſam, quæ obſervatio quotidiana talia eſſe docuit. Purpura alba igitur, quando epidemice graſſatur, ſine diſcrimine omnes invadit; maximè tamen præ aliis huic obnoxii ſunt homines temperamento, ſanguineo-cholerici, & ſanguineo-melancholici, habitus corpulenti, plethorici, ita ut audacter affirmare auſim, horum numerum adeo ſuperare proportionem ceterorum, ut ex 100. patientibus, Purpura albâ laborantibus, vix 10. macilenti habitus occurrant, deinde timidi præ ceteris. Extra Epidemicam conſtitutionem verò ante

alios invadit hypochondriacos, nec hos, quod studio moneo, sine discrimine, sed illos potissimum, qui aut malum hoc exasperârunt per commotionem plethoræ & motuum spasticorum, sive fiat per Motum Corporis Voluntarium nimium, sive per potus spirituosos, commoventes, sudoresve repulsos; ubi adhuc notandum, si tales hypochondriaci, (uti aliquoties vidi) ad mitiganda molesta symptomata sua Venam secant in ipso Paroxysmo, non modo hoc malum exasperari, sed sæpius transitum fieri in hunc morbum. Item quibus hypochondriacum malum jam determinatum est ad hæmorrhoides, hæ vero non satis succedant, sed motus ad has experiantur fortiores, illisque non penetrantibus incidunt in motus spastico-arthriticos, Ischiadicos, & similia, præsertim, si hi motus sint vagi, mox internas, mox externas moliantur Hæmorrhoides; his non rarum est incidere in hunc Morbum, & quidem admodum periculosè, de quo aliquot insignia enarrare possem exempla, nisi prolixitatem secum ferrent.

§. VIII.

Causæ porrò Occasionales esse possunt. 1. Aër, particulis talibus fermentescentibus repletus, quæ deinde in corporibus corruptionem sui generis similem specificam progignunt. 2. Contagium ab aliis eodem miasmate infectis communicatum. 3. Decoctum potûs Coffée nimis saturatum & frequentioris usûs. 4. Potus spirituosi, præsertim in hominibus vitæ sedentariæ addictis. 5. Magnæ refrigerationes, vehementes exæstuationes. 6. In cunctis ferè morbis Regimen, & Medicamenta calida, præsertim in morbis catarrhalibus, petechizantibus, puerperiis. 7. Suum quoque contribuit Aër Halensis, qui semper heterogeneis particulis ⊖no-♀eis refertus est, propter salinas, salisque continuam Confectionem, quæ peragitur ope Carbonum bituminosorum, vulgò: Steinkohlen / qui continuo vaporem densissimum ac nebulosum edunt, accedente motu intestino facile in malam dispositionem abeuntem; 8. Aqua etiam puteorum universa eâdem Materiâ est referta. 9$^{no.}$ Vitam denique desidem, otiosam, ubi aut per commotionem internam Massæ humorum sanguineorum, aut

aut per alterationes motûs tonici externas (quò & Terrores referes) humores ſpiſſi ſubitò commutantur, confunduntur, multum huc conferre, generalis Obſervatio, & quotidiana convincit Experientia, dum rariſſimè hominem laborioſum inter purpuraſcentes offendes, niſi in aliis morbis perverſa Medicina, aut vehemens ira acceſſerit. 10. Ac ultimo pono loco; ex optima ſanguinis guttâ, maximè malignam materiam, tanquam inteſtinum hoſtem oboriri poſſe, per ſolum motum inteſtinum, aut auctum nimium, aut ſibi relictum.

CAPUT IV.

Therapia Purpuræ Albæ.

§. I.

MOrbo huic tractando Capite præcedente pro Regula Therapiæ ejus poſuimus Methodum Naturæ, ſ. Medici interni, ideo quod illa cum Ratione maximè congruat, ac Experientia ex effectibus & eventibus hujus methodi rectè ſibi conſtantis, æquè ac aliarum ſiniſtrarum, deſumpta, demonſtret, hanc optimam atque unicam eſſe Methodum, quâ etiam Ars meliorem neſciat. Ibi enim oſtenſum eſt, quas Indicationes ratio omni ex parte vera ac prudens ſibi formare debeat; i. e. quid ſecundum omnes Circumſtantias fieri in hoc affectu debeat, quo modo, quo ordine, quibus mediis, ut cauſa Morbifica, ſ. Morbus ſuperetur, ac feliciter exterminetur, ea vero omnia Naturam ipſam præſtare, tanquam verum Medicum, ut Arti parum admodum aut nihil reſtet, quod directe agat, niſi errantem placide in viam reducat. Sufficiat igitur ipſi, hunc Magiſtrum ſuum quam proximè obſervare, veſtigia preſsè ſequi, omnes ejus actiones attendere, ubi quid agere omnino vult, nihil contra illum agat; quapropter & hinc diſcat, quam neceſſarium ſit, noſſe Naturam, ejus operationes, harum naturam, ordinem, modumque; hicque valet Axioma illud: Ubi Phyſicus deſinit, ibi Medicus incipit. Hoc ſane certiſſi-

certissimum est, in hâc præsertim Materiâ; Artem ad rei summam nihil posse, &, si quid tentet ultra, nedum contra hanc Methodum, semper impacturam esse, & experietur, quod ipsa non potest natura, se non effecturam.

§. II.

Natura vero quicquid in Oeconomia suâ potest, vel in potestate sua universa habet ad agendum, sunt Motus, horum directiones, atque modificationes; materiam ipsam corrigere haud valet, nec hoc in artis potestate, nec ea ejus est indolis, ut correctionis capax sit, sed citissimè ejici potius debeat, quam diu tolerari.

§. III.

Cum parum igitur in hac re in potestate Medici sit, nec valeat Remedia directe contra hunc morbum suppeditare, sed Consilio magis, si usquam sanè, hîc magnam utilitateem afferre possit, dicemus in quo hoc consistat, ut nempe Regimen patientis dirigat, suadendo, quæ proficua secundum diætam, & quæ vitanda, demonstrando. Quo sane tantum hîc efficiet, quantum in aliis morbis, ubi medicamenta necessariaria sunt, atque utilia, eorum suppeditatione. Commendetur igitur tali Ægro, ut ante omnia evitet hypocausta calida, sufficiet talis caloris gradus, ut modo ne frigescat; Aëris, si sudum non sit, liberi accessus arceatur, quia Tonica Sensatio in his sensibilissima, ejusque alteratio maxime periculosa est. Stragula non sint densa atque copiosa; Calor enim externus nimius, anxietates, inquietudines impatientes, commotiones sanguinis, deliria &c. parit, minimè confert ad elicienda exanthemata, aut sublevandum morbum.

§. IV.

Inappetentia huic affectui non sine ratione familiaris sibi relinquatur, nec quid esculenti ultrò offeratur. Sitis ordinariè tolerabilis, sedetur, non tamen uno haustu oppletivo, nec frigidè ingurgi-

gurgitando, quod non bene ferunt: Admoneatur æger, ut quam tranquillissime se gerat, nec impatienter corpus jactitet; indusia ne per totum morbum mutentur, suaserim, imo durante Purpura, ac in superficie corporis apparente, ne lectus quidem sternatur.

§. V.

Methodus Positiva ejusmodi Febribus occurrendi, quam graves Controversias & lites dederit Viris Medicis duarum Germaniæ Celeberrimarum Academiarum atque famigeratissimarum, Illustribus, admodum notum mihi est. Una Pars commendabat præ aliis omnibus remedia alexipharmaca, excitantia & Cardiaca; nec hoc sine magna specie rationum: Observabant enim, pulsum in ejusmodi febribus lenissimum, nec multum à naturali differenrem, Urinam itidem sanæ similem, nec quidquam vigoris internarum secretionum; aut commotionum indicantem, nullam manifestam excretionem, arbitrabantur in ejusmodi Malignis Morbis pulsum debere esse fortem, celerem, excretiones expeditas, sudores copiosiores, ad hæc vero Febres has non inclinare per se, naturam hic ob causæ malignitatem languere; hîc igitur putabant maximè Negotium dari Medico, eique incumbere, Naturam excitare, se- & excretiones stimulare, toti processui vigorem conciliare, aliàs rem non posse, quâm malè cedere; Bona igitur intentione, naturam adjuvandam atque impellendam statuebant, adeo ut alteram Partem etiam apud exteros, & vicinos malâ notâ inurere susciperet.

§. VI.

Altera Pars eandem indolem ac symptomata harum Febrium perspiciens, simul observabat, rationalem esse hunc processum febrilem, motusque materiæ morbificæ proportionatos & congruos, quippe quæ per fortiores commotiones retineretur, magis quam ut per diapnöen (quæ placidos humorum appulsus, ac motitationes ad peripheriam corporis requirit) expellatur. Porro animadvertens, plures Patientes non modo melius se habere ab omnibus

artificiis abſtinentes, ſed facilius quoque ad priſtinum redire ſtatum, quam illos, qui Methodo pellente, aut ſudores protrudente uterentur, qui non tantum plura & graviora ſymptomata ferrent, ſed multo majorem horum numerum ſuccumbere, potius inquam hîc omnia contraria ſtatuebat ac temperatiora omnia, imò temperantia ſuadebat, cui experientia, & quilibet obſervandi atque concludendi compos adſtipulantur; Cui & ego, non ex Autoritate aliorum, aut cæcâ credulitate, vel ex Traditione doctrinali facili applauſu recepta, ſed multiplici, copioſâ, & ſollicita Converſatione Clinica cum ejusmodi Ægrotis, & hâc methodo toties apud illos adhibitâ, convictus, manum do, eamque nunc, qualem ſemper habuimus, traditum eo.

§. VII.

Hic igitur repeto, unicam Viam, per quam corpus iterum liberari debeat, ac tutò poſſit, eſſe Diapnoën, & hanc motibus placidis, tranquillis, continuis tamen ſine tumultu procedere, Methodumque artificialem cum ſpontaneâ eandem eſſe debere, & contra hanc, tanquam Normam nihil agendum. Conſiſtit, itaque in executione ſequentium indicationum, quibus ſingulis ſua oppoſita ſubnectam. 1. In conſervatione Directionis motuum ſe- & excretoriorum verſus corporis peripheriam; quò Materia morbifica ſemper ab internis arceatur, in extremo enim hoc Emunctorio latiùs diſſipari ac diſtineri poteſt, ne unitâ Vi agere queat, & locus eſt, ubi Materia conſiſtentiæ halituoſæ aptiſſimè ac commodiſſimè exhalare poteſt, 2^{dò}. ut fiat aſſiduò, ſed moderatè admodum, intra brevem ambitum, ſed non præcipiti cum impetu. 3. ut accuratè obſerventur opportunitates agendi, ac momenta critica, illa ſuis actionibus ſervando, eaque ſectando, aut 4. ſub horum ambitu nihil alieni agendo, ſique motus non excedant, ſibi potius relinquendo; Critica per ſe ſunt delicata, in hoc autem morbo præ aliis ſpinoſa, priusque ſuſpectum habeas exceſſum motuum, quam timeas horum defectum. 5. Adhuc magis cavendum, ne ante opportunitates, & extra has, tales commotiones

ſeu

seu directiones tententur, alias certissima noxa, si non periculum sequetur, etsi ad ea loca fiant & eâ specie, quæ de cetero utilis esse possit, ubi cum nocumento doceri potes, quamvis idem facias quod Natura, tamen nec idem, nec ejusdem effectûs, sed potius contrarii esse; est hic quoque ubi Empiricum à Medico rationali distinguere poteris, 6$^{to.}$ Non minori prudentia & circumspectione prævidendum est, ne tales commotiones præposterè suscipiantur, quò Natura placidis tantum adminiculis adjuta, aut plane sibi relicta jam quasi deferbuit, ne ad ferociores commotiones iterum per talia stimuletur, nec nisi morte ipsa erroneos & exacerbatos motus suos pertinaces finiat.

§. VIII.

Nunc brevissimis, quid hic contra Naturam s. ἀμεθοδῶς, & quomodo offendi possit, monstrabo. 1. Quando Materiæ hujus Morbi halitûs consistentiæ, & tenuiter latèque per sanguinem dispersæ, crassis commotionibus & evacuationibus, unà & simul per particulares vias, ac ubi peculiari directione opus est, eliminatio intenditur, ut si huic scopo satisfaciendo putatur hoc unâ vice & simul fieri posse per Emesin ab initio Morbi concitatam, aut, si interdum contingit videre in hoc affectu Diarrhoeas, ibi minimè sequendus canon ille; Natura, quò vergit, ducenda, quamvis quidem alvum liberam esse, bonum sit, non tamen oportet valde curare adstrictionem ejus paucorum dierum, multo minus laxantibus rem aggredi, minima hîc irritatio magni quid inferre potest, & solet; Omnia loca, præter Peripheriam Corporis, per quæcunque Materiam ducere velis, sunt alienissima. Ad Methodos ἀλλοτρίας & vias particulares omni jure accenseri meretur Ventilatio sanguinis per evacuationes artificiales, quarum utilitas, nedum necessitas nullis rationibus probari, nec experientia confirmari possunt, ex utroque verò capite contrarium satis ac solidè evinci potest, quod verò hic mei instituti non est, prolixè deducere, cum id jam fecerit Celeberrimus Halensium Professor, ac Illustris Medicinæ Restaurator, Stahlius, propria Dissertatione Anno 1703. habitâ.

§. IX.

§. IX.

Porro ad Methodos artificiales à ſpontanea alienas, imo huic planè contrarias pertinet artis vitium (ſeu Artificium) eorum, qui in febribus acutis malignis ſibi ipſi ſymptomata urgentia (quæ ipſi ſæpius per abuſum alexipharmacorum & volatilium etc. talia reddidêre) formantes, ad opium famoſum confugiunt, ſi nempe deliria valde Magna, inquietudines, noctes vigiles, internorum motuum exacerbationes, ſeu potius (bene ſi ſic reſpicerentur) motus eluctatorios, anguſtias pectoris, patientis ipſius & adſtantium vident & audiunt, ad parvum tantum tempus ſublevationem petentes, tunc inquam emolliti quaſi ac commiſeratione intempeſtiva tacti, hæc ſymptomata pro Morbi Vi, & urgente indicatione habent, aliquot tantum doſes ſacræ hujus anchoræ concedunt, quam longè autem hæc à vero motuum ſcopo, per ſe ſalutarium, aberrent, quique circa critica momenta plerumque ſe oſtendunt, nunc mihi non ſumo uberius deducendum; id autem quaſi in formâ Quæſtionum peritè & circumſpectè Practicantibus propono. 1. An in Febribus Malignis unquam ullo modo Opiata neceſſaria eſſe poſſint, ſeu, an, & quæ vera ſint illa ſymptomata urgentia, taliaque flagitantia? 2. An ingenuè & ſine fuco unquam in his utilia? 3. An ſolum tuta ſint? annon certiſſimas noxas habeant pediſſequas, qualesque, an leviores, aut graviores? Sæpius quidem citiſſimè motus atque dolores ſiſtunt, nec tamen id ſemper, potius ſtupores, deliria vehementiora, anguſtiæ atque anxietates internæ, Coma, Lethargus, tonus vagus, & ex hoc ſudores frigidi, ac tandem placidiſſima quies perfecta & æterna ſubſequuntur.

§. X.

Plerumque verſus Dies Criticos, ubi de ſumma rei omnibus certatur viribus, ſymptomata exacerbantur, quid enim Naturæ inſtrumenta & arma ſunt, quam ſoli motus? & ex his contra Morboſam Materiam pugnantibus, & ſenſum dolorificum, alienationes animi,

animi, & ſimilia excitantibus conſiſtunt Symptomata illa gravia: Si igitur hos non pro ſalutaribus habeas, ſed potius contra hos pugnes, Tu & Materia activitatis celerrimæ & peſſimæ brevi tradetis Acheronti ægrum. Talia ideo quoque rejicimus, quod ſecurius, ac ejusdem celeritatis Remedium habemus, ad Motus, ſi omnino nimii videantur, temperandos, & quidem longè certius & ſpecificum quaſi; nec ubi etiam talibus medicamentis opus eſſe videri poſſet, haud facile aliud præter hoc impunè propinabitur. His præmonitis, repræſentabimus nobis eas, quas formavimus indicationes, ſimul autem, quid ibidem de ſpontanea Naturæ methodo diximus; Cumque omnes in eo conveniant indicationes, quod ſumma rei, placidâ, ſed aſſiduâ, & continuâ excretione diapnoicâ abſolvatur; hinc in Purpurâ ſimplice ante eruptionem exanthematum Patienti exhibeatur ter circiter de die ʒis temperans & abſorbens ex Ocul. Cancr. +ſitate Citri ad plenariam amiſſionem omnis ſaporis, ſaturat. aut Conchis tali modo præparatis (quod medicamentum inſignem vim alterandi habet, ac præprimis, quibus pectus non admodum liberum, ſed oppletione aut tuſſi vexatum, conducit) abſorbente ſimplici, & portione ⦶ri, ita ut ſingulæ doſes ⦶ri grana 5. habeant ad minimum, cui pro re nata addi poterit Antimon. diaphor.

§. XI.

Ubi jam Purpura incipit provenire, ibi quieſcendum, ſique placide procedat, planè abſtinendum ab Artificiis; ſi verò proruperit, leniſſimo regimine diapnoico, & alexipharmacis temperatiſſimis promoveatur, isque obſervetur ordo, ut matutino tempore, quo paroxyſmus plerumque aliquanto lenior, propinentur Eſſent. Scord. gutt. 15. ad 20. in potu ordinario; per diem vero continuentur pulver. abſorbentes. In ſtatu verò compoſito, quicunque Morbus ei ſit ſociatus, cautius procedendum, imprimis ſi ſit acutus, magisque ſi ſimul Malignus, ibi enim tot occurrunt difficultates, ut verè hic, ubi regulæ medendi eſſent tradendæ, dicere debeam: Multa ſunt, quæ nec dici, nec ſcribi poſſunt.

§. XII.

Sumam mihi unum tantum horum, cui Purpura se facillime complicat, ne Dissertationis limites excedam. Si proveniat cum Petechiis; aut his nondum superatis superveniat, ut ita 2. Morbi Maligni gravissimi conveniant, ibi sanè in male fidâ statione Purpuræ, Morbo in longius se trahente variis cum mutationibus se subindè intra breve intervallum excipientibus, metu retrocessionis, vehementibus deliriis, summis anxietatibus, aut motibus, mox languentibus, mox excedentibus, omnino Medico vigilandum est, firmoque animo, solidâ ac tutâ Methodo ipsi prospiciendum, quò conscientia sana servetur magis coram Deo, quam hominibus, ita tamen, ut his quoque rationem actionum suarum reddere queat, nec animum suum intempestiva Misericordiâ emolliri patiatur, ut ad incerta & ambigua remedia confugiat, sicuti hic lubrica occasio est, aut ad opiata, aut calida alexipharmaca. Dabo Consilium, quod ego semper observavi. Motus si videantur excedentes (quod tamen in re tam seria bene explorandum) peritè ac dextrè adhibeatur illud, de quo in superioribus mentio facta est, remedium tutius & certius, quam ullum aliud; est vero illud ⦶rum largius sed repetitis dosibus datum ad exquisitum sensum Saporis in lingua perceptibilem, ita tamen ut ne excedat, cui ego Cascarillam addere sum solitus; inveniet artificiosus Medicus in hoc remedio, quod plurimi non putabunt inexperti. Ob languentes Naturæ motus, si retrocessio timeatur, adhibeantur bona cardiaca ac confortantia (quorum admodum pauca sunt) non tamen valdè aromatica. Commendant se vere per se ⊹dum Litri, quod apud patientes eo modo adhibui. Jussi per diem 1. ad 2. mala Citrea recentia cum corticibus in orbiculos dividere, saccharo non parcè conspergere, qui hîc non timendus, & pro lubitu comedere, vidique non solum sitim sub ejus usu tolerabilem esse, sed patienti gratum Medicamentum, magisque recreans, quam multa alia sub titulo confortantium nota; ubi noto, per totum morbi decursum sine ullo timore hæc usurpari posse, ⊹da admodum hîc quadrant, non Mineralia tantum congrua, sed Vegetabilia; cum his conjunges juxta ♁ supra dictos frequentiores doses essent. scordii; acriora si sumas, cave ne nimis fiat.

§. XIII.

§. XIII.

Multi admirabuntur paucitatem medicamentorum, dixerintque forsan, rem brevioribus ambagibus potuisse expediri. His respondeo, me facillimè maximum cumulum alexipharmacorum & roborantium potuisse recensere, -∿-um C.C., ⊖♌le viperarum, Camphoram, Myrrh. Croc. Copia essentiarum ex Regno vegetabili &c. Libri enim Medicorum talibus non carent, ex his exscribere totus labor fuisset. Ad 2^dum^ responsionis loco monebo, eam esse faciem Medicinæ Practicæ, ut, quid evitandum sit docere, hîc certo sensu majus involvat emolumentum ac momentum, quam positivè medicamenta præscribere; porro dehortor, ne in his anxiis rebus variabilis sit Medicus, ac uno medicamine non statim ad sensum opem ferente, ad alia subinde progrediatur, ita enim Naturam confundet, ut ad mortem usque ex turbis se non expeditura sit, non adhibeat incerta, ambigua, inexperta remedia, quibus periculum facere velit, & secundum Germanornm phrasiologiam: In diesen Umständen muß man alles probieren. Imprimis, cum uti supra dictum, hujus morbi indoles, in morbis præcipuè complicatis, adeo sit subdola, ut patientes sæpe in optabili atque optimâ euphoria ad faciem constituti subitò ac brevissimis moriantur. vid. Cap. II. §. 18.

§. XIV.

Pauca hic habes Medicamenta, sed bona atque tuta, quibus NB. opporutnitates sequendo, longè majora efficies, quam quibusvis aliis. Scordium non sine causa commendavi, se ipsum enim multis Practicis commendavit in Febribus malignis, contagiosis, pestilentialibus, ac in genere in corruptione humorum putrida, tanquam egregium balsamicum internum, atque alexipharmacum temperatum, certum tamen & securum, cui si omninò aliquid jungere velis, præ aliis commendarem essentiam cascarillæ, sed parciùs.

§. XV.

Commodè, in sensibilioribus præsertim, interpones pulveribus supra nominatis, aut eorum loco adhibebis, Potiunculas diapnoicas ex aquis e. g. Scord. Card. b. flor. acac. samb. C. C. Citrat. Scorzon. chærefol. plantag. scabios. &c. quibus junges Syrup. papav. rh. aliumve, & admiscere poteris ☿es dictos, variationis gratia. Camphora omnium minime placet, celerrimæ & impetuosæ commotionis, quamvis eam sub ⊕ro occultaveris, non magis & Myrrha, quæ in externis id præstat, quod scordium in Morbis internis. Quid amuletum Celeberrimi Domini Wedelii in hoc Morbo possit, Experientiæ relinquo, mihi id experiri non licuit.

CAPUT V.

Observationes & Cautelæ.

I.

PUrpura alba æquè ac rubra ab aliquot tantum lustris in quibusdam locis Saxoniæ ita notas se reddidere, ac Albæ præcipuè Halæ Magdeburgicæ cœpit epidemicè grassari.

2. Purpura alba ab Anno 1652. in his Regionibus commune Puerperarum symptoma deprehensa est, nunc verò etiam extra Saxoniam puerperas infestare observatur.

3. Datur quoque Purpura alba benigna, in infantibus ab aliquot hebdomadis natis, sed incongruè sic dicta, siquidem albæ tantum pustulæ sunt, facilè iterum evanescentes, quæ totam cutim secum detrahunt, & infantibus antea nigris albam cutem conciliant.

4. A

4. A peritissimo atque expertissimo Medico quodam asseritur, pustulas albas in Purpura non semper prorumpere, ac feliciter & infeliciter sine his interdum decurrere posse ac solere, atque ideo pustulas has non esse huic Morbo essentiales, cui ego nec assensum præbere possum, nec plenum dissensum.

5. Purpura complicata diebus criticis, vel criticodeis, aliis Morbis accedere amat, uti 4to, 7. 11. 14ro; hinc in Morbis acutis Medico caute procedendum & hæc timenda; præsertim quando duriora videntur Morbi primarii symptomata, quod & Medico perito facem ad prognosin præferre potest.

6. Notum mihi est exemplum Studiosi cujusdam, qui Purpurâ decumbens cum Petechiis complicatâ, morboque in 4tam hebdomadem tracto, ipsoque vix mortem evadente, Gonorrhœâ, quâ laborabat, virulentâ cum hoc Morbo, liberatus est, quod mihi Occasionem præbet

7. Observationis loco recensere, quod inter subjecta Purpuræ obnoxia sint Milites magnæ hodierni Seculi Deæ, Veneris, quibus planè superata Purpurâ, purgans ☿riale utiliter propinatur, ne quid in lymphâ aut sero residui relinquatur, quod verò non minus & aliis Purpura afflictis conducit.

8. Nonnunquam Purpura Bubones producit, cujus exemplum est Studiosus quidam Medicinæ, cui in collo die critico valde Magnus subortus est, qui diu satis duravit sub valde ambiguo Morbi statu.

9. Diarrhoea huic Morbo si accedat, ⊕rum cum momento Cascarillæ, sed non longioris continuationis se commendat.

10. Urina & Pulsus in Purpurâ incerti ac fallacis sunt indicii.

11. Cum Catarrhis complicatæ, si Aphthæ superveniant, Essent. Pimpinell. alb. gutt. X. ad XV. sine vehiculo interdum pro gargarizando adhibitæ opem ferunt.

12. Dolendum est, Specifica contra tales Materias malignas tot specierum adhuc ignorari, atque deficere.

13. Hæmorrhagiis, præſertim ſi Criticis diebus ſe manifeſtent, directè occurrere non licet, ſed ſibi relinquendæ ſunt, etſi nihil boni unquam ab illis exſpectandum ſit (ſolent enim plerumque largiores eſſe) Præter temperantium frequentiorem uſum cum largiori ⊕ro, parum ſecuri remedii ſuadere licet. Illud autem dextrè peritis Medicis quæſtionis ac Clauſulæ loco proponere cuperem, quid agendum ſit in ſubjectis Hypochondriacis, aut valde Plethoricis, quale exemplum ſupra enarravi Cap. II. §. 13. an V. ſectio ſuadenda primo aut ſecundo die? an repetenda? cùm hîc videamus, Naturam effudiſſe ſanguinem cum anima. In Febre Catarrhali Malignâ feliciter hanc aliquoties ceſſiſſe, bis quoque repetitam, novi: annon hic aliquid tentandum, cùm periculum ſit tam præſens, ſi etiam jam à priori, ante factum ſciri poſſit, ſecuturas tales hæmorrhagias, ex inclinatione patientis ad has? ubi autem Diapnoica fortiora, aut Alexipharmaca temperata cum regimine ſubjungenda eſſent; aut an melius ſit talem ſinere mori, quam aliquid tentare? Hujus autem Reſolutionem libenter, ut dixi aliis relinquam, quamvis multæ rationes affirmativam ſuadere, multæ quoque, quod non nego, diſſuadere videantur.

F I N I S.



CORO-



COROLLARIA.

1. *Febris non eſt Morbus.*

2. *Foetus in Utero ſtruitur, nutritur, conſervatur ab Ente ſpirituali, intelligente, rationali.*

3. *Spiritus agit in Materiam immediatè, imò pondus aliquot Centum librarum in altum tollere poteſt.*

4. *Remedia Martialia non agunt in Maſſam Humorum.*

5. *Senſus non fiunt mechanicè, ſed organicè, i. e. poſitâ Machina ſ. Organo alicujus Senſûs in id agente, ſenſus tamen ideo non excitatur neceſſariò.*

6. *Podagra non eſt Morbus ſ. vitium Humorum, nec incurabilis eſt.*

7. *Nævi Materni generantur à pathematibus animi, tanquam cauſa efficiente.*

8. *Lues Venerea non eſt contagioſa.*

9. *Malum Hypochondriacam ſine motu Corporis, aut Hæmorrhoidibus non ſolvitur.*

10. *Dantur omninò Spiritus Animales.*

11. *Mutatio Metallorum ignobiliorum in nobiliora non tantum poſſibilis, ſed vera datur, fitque per volatiliſationem circulatoriam, & fixationem.*

12. *In Corpus humanum non cadunt Passiones.*

13. *Non dantur Remedia purgantia, nec cardiaca.*

14. *Circulatio sanguinis ab Harvæo non est inventa.*

15. 🜍 ♁*ii* ☉*ratum in* 4*tânâ longe certius & securius Chinâ est.*

16. *Datur Aurum potabile, sed non medicinale.*

